



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi,  
Explanatio Catechismi Catholici**

**Macherentinus, Johannes**

**Colon., 1612**

Quid defunctis præstandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39397**

1. Cor. 7. Præterea quomodo qui uxores habent esse debeant, iuxta S. Pauli doctrinam, tanquam non habentes, & suo tempore continere, ne sint sicut equus & mulus super quos demon potestatem habet, vt Archangelus Raphaël testis est, intelligant, quibus opus, maximè noui coniuges ex docto, prudenti, ac pio animarum curatore.

Tab. 6.

## L V.

QVIDNAM OFFICII FIDELIBVS  
defunctis mihi præstandum?

Eccl. 7.

Mortuo non prohibeas gratiam ait Ecclesiasticus, quod & strenuus ille ac sanctus dux Iudas Machabeus optimè intelligens, oblationes pro ijs fieri curauit, qui cum pietate dormitionem acceperant. Cuius pium officium commendans scriptura ait, sancta ergo, & salutaris cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur..

2. Mac. 12.

Quibus suffragijs à pœnis soluantur animæ  
defunctorum?

Oblatione corporis Domini, orationibus, Eleemosyna, ieiunijs; sicut vnanimiter cum patribus sanctis Augustino & Chrysostomo vniuersa tradit Ecclesia.

De verbis  
Apostoli  
Ser. 34.

Verba diui Augustini clara sunt orationibus, inquit S. Ecclesie & sacrificio salutari & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est

est dubium mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quam peccata eorum meruerunt: hoc enim à patribus traditum vniuersa tenet Ecclesia: Chrysoftomus. Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam.

Ho 32. in  
Matth 69  
ad po-  
pu. Anst-  
och.

*Oratio dicenda dum per cœmeterium  
itur.*

**O** Fideles animæ quorum corpora hic & vbiq̃ue in dulcissimo nomine IESV quiescunt, gratiam suam vobis impertiatur Deus Pater, redimat vos Deus filius, consoletur vos Deus Spiritus Sanctus: vestri misereatur Maria, intercedant pro vobis omnes cœli ciues. Orate & vos fideles animæ pro me misero peccatore, Amen.

*Pro viujs & defunctis sæpè dicenda.*

**D**A Domine requiem defunctis, pacem viujs, peccatoribus veniam & vitam æternam, Amen.

*Cum accipis aquam benedictam.*

**L**A VA me Domine ab iniquitate mea, munda me Domine IESV à peccatis meis, qui me pretioso sanguine tuo redimere, & per sacrum Baptisma abluere & saluare dignatus es, Amen.

Rr 3 Rem